

disqvif.
pag. 83.

declamitat; *Que DEUS purificavit, tu communia ne dixeris.* Non dicitur, maeta & purifica, coque, assa; sed. maeta & vescere. Ergo immunda omnia? ergo cum sanguine etiam? Imo, quæ DEUS purificat, tu communia ne dixeris. Nec quod ita semel placuit ceu Novi Instrumenti assertivum, id postea DEO displicere potuit; ut adeo in Concilio Solymitano adversum nil potuerit statui, neque prorsus excipi sanguis, ut videtur laudatissimo *Bartholino*, quæ suo loco recurrent altius eventilanda. Præclare *Atbanasius* epistola ad Ἀμμῶνι μὴ ἀζῶντα; *Potest idem alia atque alia ratione opportune concedi & prohiberi.*

CAP. II.

SUMMARIA.

Argumentum III. pro libertate esus sanguinis, quod ejus ergo non sunt reprehensa gentes. Augustini seria sententia pro illa libertate. Apostoli cur abstinerint. Christus a carne non abstinuit.

Tertium argumentum, quo fulcitur asserta libertas est, quod ob esum sanguinis, *citra respectum idolei*, non leguntur accusatae gentes, quod fieri oportuisset, si abstinentia illa, ut morali quodam, tenerentur Christiani. Nusquam inter scelera gentium, quæ evomere terram incolas suos faciebant, nusquam in Novi instrumenti libris inter abominanda Ethnicismi esus sanguinis recensetur. In gratiam imbecillium Judæorum tam conversorum recens, quam conversioni proximorum abstinere gentes a jure suo tantisper ex consilio Apostolico jubentur, non condemnantur, ut contra legem moralem DEI hætenus victitantes, quod attinet ciborum neglectum discrimen. Ideo ubi *Ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis jam hoc Christianus observat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? aut leporem non edat, si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus*